Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1489
Quelle:
Copyright:

neficiarium, Fratres Mendicantes. *Sermonem* de Populari suo *Thoma Cantuariensi* ita finit: *Nec est putandum, quod sanctus Thomas fecit optime, cum fecisset melius ac mandato Christi conformius videndo, quod occasione temporalium clerus in reti spinarum inuoluitur, renunciasset his omnibus in manus secularium dominorum. Nec tantum debet credi miraculis post mortem ejus nomine suo factis, cum dyabolus possit hec facere, sicut sanctitati vite sui superstitis et specialiter caritati feruide, quam habuit hora mortis.* Nescio, an *Baleus* et *Tannerus* per *Sermones in Evangelia Festivalia*, vel per *Commune Sanctorum* nostros praesentes intelligant. Initia enim, quae adferunt, a nostro discrepant.

II. *fol.* 128. *Sermones* alii XXIV. mixti, quorum I. in illud: *Caro mea vere est cibus* &c. *Job.* 16. incipit: *Hoc euangelium alludit fundacioni sanctissimi sacramenti eukaristie* &c. Horum sermonum illicio captus Librarius subscripsit: *Et vobis reuerende atque amande magister vna cum vestris fidelibus benedicere dignetur in terris, qui sine fine viuit ac regnat omnipotenter in celis Amen.* Inter *Sermones in Epistolas et Euangelia*, quos indicant Bibliographi mox citati, hos etiam comprehendi putem.

III. *fol.* 186. p. 2. Tractatus VI. *Capitibus* constans, et incipiens: *Ut simplices sacerdotes Zelo animarum succensi habeant materiam predicandi notanda sunt 6. iuga secularis brachij que trahunt efficacius currum christi* &c. Juga, quae adpellat, diversa officia mutua intellige, puta Conjugum, Parentum et Prolium &c. Itaque Scriptum *de Sex Jugis* dici potest, quod apud praedictos *Baleum* et *Tannerum* non reperi.

IV. *fol.* 189. absque inscriptione Enumeratio eorum, quae Regi seculari in Clerum suum competunt mortaliter peccantem. Primum statuitur: *cum plena executione sue potestatis regalis laborare, ut clerici sui seruent veram pacem* &c. Initium: *Discipulus quidam venerabilis doctoris euangelici* &c. Nec istud Scriptum alibi reperi. Videtur tamen imperfectum.

V. *fol.* 193. *Sermones* mixti XXXVIII. in varios Evangeliorum et Epistolarum Textus, et primus quidem in illud: *Hora est jam nos de somno surgere. Rom.* 13. hoc ingressu: *Ecclesia facit hodie mencionem de aduentu christi* &c. Notari meretur Monitum manu coaeva, sed alia, in fronte praescriptum: *Constet omnibus quod iste Wycleff Quadraginta* (igitur ultimi duo desunt) *sermones istos scribens fuit alius a se ipso hic quam alibi, ut apparet legenti, Quia demptis paucissimis pene in omnibus hijs scriptis sequitur ecclesiam in fide et ritibus et modo loquendi katholico.* Itaque nondum plene tunc illuminatus fuerit, id, quod et de *Lutbero* deinceps dictum meminimus.

Codicem